

C A P U T V.

De autoritate Ecclesiæ in rebus ad Religio-
nem pertinentibus.

HIC gravissimi momenti quæstiones sese offe-
runt expendendæ; prima, an aliquis sit in Ecclesia
supremus et infallibilis controversiarum judex;
secunda, quis ille sit à Deo constitutus judex;
tertia, quænam esse debeat Pastorum unanimitas,
ut Ecclesiæ judicium sit ab omni errore liberum;
quarta, utrum Ecclesia dispersa sit infallibilis.

A R T I C U L U S P R I M U S.

An aliquis sit in Ecclesia supremus et infal-
bilis controversiarum judex.

Quæstionem hanc solvent duæ sequentes pro-
positiones.

P R O P O S I T I O I.

Aliquis est in Ecclesia supremus controversiarum
Judex.

Probatur 1º. Quia Deum non minorem in insti-
tuenda Ecclesia Christiana curam habuisse certum
est, quam in Judaica: siquidem majori eam amore
prosequitur, et ampliora legi gratia, quam legi
servitutis privilegia remediaque efficaciora contu-
lit, ut apud omnes Christianos in confessio est:
atqui in Ecclesia Judaica supremus fuit controver-
siarum judex. Id constat ex istis verbis: *Si diffi-*
cile, et ambiguum apud te judicium esse perspexe-

Dissertatio IV.

435

ris... inter causam et causam, lepram et lepram... surges, et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis qui indicabunt tibi judicij veritatem. (Deuteron. 17. v. 8 et 9.) Id etiam aperte colligitur ex isto Christi præcepto: Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi; omnia ergo quacumque dixerint vobis, servate et facite. (Matth. 23. v. 2 et 3.)

2º. Illud profectò non fuit à Christo prætermis-
sum, quod lumine naturali duce, ipsi Gentilium Legislatores, in formando Reipublicæ sua regi-
mine instituerunt: atqui apud Gentiles erant Pon-
tifices constituti, tanquam Religionis interpretes,
et earum quæ nascerentur difficultatum judices.
Tales instituit Numa Pompilius apud Romanos;
Galli suos habuere Druidas, Assyrii et Babylonii Chaldeos, Perse et Medi Magos.

3º. in omni Republica bene instituta, sunt ju-
dices controversiarum, sine quibus nulla spejari
potest pax et tranquillitas: atqui Ecclesia Christiana
est Respublica quedam, à Deo constituta, et
quidem eo fine, utsingula et omnia ejus membra
sint unus spiritus, cor unum.

4º. Rationi accedit autoritas: sic enim præcipit
Christus: *Dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non*
audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus:
(Matth. 18. 17.) atqui Christus his verbis docet,
quoddam esse in Ecclesia Tribunal, ac proinde
judicem aliquem, ad cuius autoritatem aliquando
confugendum est.

5º. Denique Ecclesia, statim ab exordio, sese
habuit, ut litium de rebus ad Religionem perti-
nentibus judicem; si ergo munus usurpavit inde-
bitum, satendum erit eam, vel ab incunabulis,
et paucis post Christi ascensum annis, periisse:
atqui Ecclesiam interire non posse demonstravi-
mus; ergo, etc.

Solvuntur objecta.

Obj. 1º. De nova Lege sic prænuntiat Scriptura : Ponam..... universos filios tuos doctos à Domino. (Isa. 54. v. 12. et 13.) Dabo legem meam in visceribus eorum , et in corde eorum scribam eam.... et non docebit ultra vir proximum suum , dicens : cognosce Dominum ; omnes enim cognoscere me , à minimo eorum , usque ad maximum. (Jerem. cap. 31. v. 33 et 34.) Unde sic : Ibi necessarius non est controversiarum judex , ubi omnes docentur à Deo : atqui in lege nova omnes docentur à Deo ; ergo , etc.

Resp. Dist. maj. Ubi omnes docentur à Deo quid credendum sit , conc. maj. hoc est , interius moventur à Deo per gratiam ad credendum , et amandum Deum , neg. maj.

Porrò objecti textus de sola interiori Spiritu gratia , ad fidem et amorem movente , accipiendi sunt : ibi enim utriusque legis discrimen statuitur , novaque supra veterem extollitur : atqui discrimen illud , ut norunt omnes , in eo stat quod lex nova gratiam ad agendum subministret interius , cùm lex vetus non nisi exteriū quid boni agendum esset ostenderet. Jamverò illud gratiæ interioris donum , exteriū Doctorum ministerium non excludit : apud eundem enim Jeremiam sic promittitur : Dabo vobis Pastores , juxta cor meum , et pascent vos scientiā et doctrinā. (Cap. 3. 15.) Nam interiori gratiæ Deus mentem illustrat , dum Pastores et Doctores exteriū insonant verbum divinum prædicando. Si docentium Pastorum hic rolleretur ministerium , maximè quia ipsis solus Deus videtur subrogari : atqui hæc ratio nulla est , cùm soleat Scriptura Deo tribuere quidquid faciunt Ecclesiæ Doctores , supposito , non excluso eorum ministerio , ut patet , tūm ex Apostolo : Neque qui plantat est aliquid , neque qui rigat , sed qui incrementum dat Deus ; (1. Cor. 3. 7.)

Dissertatio IV.

tūm ex Christo sic testante : Non enim vos estis qui loquimini , sed Spiritus Pátris vestri qui loquitur in vobis. (Matth. 10. 20.) Ratio est , quod Pastores et Doctores se habent , ut Dei instrumenta , quibus ipse ad operandum vim omnem subministrat.

Ista autem alia quæ opponuntur verba , non docebit vir proximum suum , etc. intelligi debent , ut satis indicat textus , de cognitione unius Dei , quæ per Evangelii prædicationem tam vulgaris futura erat , ut nemo opus haberet , id ex proximo suo discere ; quod contigisse videmus , everso scilicet Paganismo , qui omnibus in locis , si Juddæam excipias , dominabatur : positâ autem germanâ hæc expositione , evanescit difficultas. Hic enim questio non est de unius Dei cognitione ; sed de mysteriorum , fideique nostræ dogmatum notitiâ.

Obj. 2º. Prohibet Christus , ne alius præter eum vocetur magister : Nec vocemini magistri ; quia Magister vester unus est , Christus ; (Matth. 23. 10.) Ergo non aliis , præter Christum docentem , agnoscedens est controversiarum judex.

Resp. Dist. ant. Prohibet Christus ambitiosam hujus tituli affectationem , conc. ant. prohibet rem et officium , hoc nomine designata , neg. ant.

Eodem quippe modo Christus , magistri , ac patris , appellationem condemnat : de utroque enim simul loquitur : Patrem nolite vocare vobis super terram : unus enim est Pater vester , qui in celis est. (Matth. 23. 9.) Atqui non vetat Christus , ne eos qui nos generint , patres dicamus , quatenus patris nomen eum significat per quem , dante Deo , in lucem editi sumus ; sed prohibet duntaxat , ne affectu nimili carnali , immoderatum Deoque injuriosum honorem patribus nostris exhibeamus , quasi primaria essent per quam existimus causa ; ergo pariter non reprehendit , nisi vanam superbamque ambitionem , quâ

Ita doctoris nomen usurparet aliquis, ut simul non agnosceret solum Deum per exterius Pastorum ministerium animos interius illustrare, voluntatemque movere, juxta illud Augustini: *Nolite putare quemquam aliquid discere ab homine: admovere possumus per strepitum vocis nostrae; sed si non sit intus, qui doceat, inanis fit strepitus noster.* (Tract. 3. in Epist. Joan. n. 13. tom. 3. Edit. Bezed. col. 849.)

PROPOSITION II.

Supremus ille controversiarum judex à Deo in Ecclesia constitutus, debet esse infallibilis.

Frobatur. Illud necessarium est, quod si defuerit, interminatae erunt fidei controversiae, Deus omnibus fidelibus errorem præcipiet, firma et immutabilis non erit Ecclesiæ fides: atqui nisi controversiarum judex, in Ecclesia à Deo constitutus, sit infallibilis, certa sunt tria hæc incommoda. 1°. Quidem interminatae erunt controversiae: neque enim eas dirimere potest sententia, quæ ipsa merito potest in controversiam adduci: atque talis esset sententia judicis in Ecclesia, si erroris periculo subjaceret. 2°. Deus errorem singulis fidelibus præcipiet, si forte erronea sit hujuscemodi sententia: Deus enim jubet fideles omnes, sese illius judicis decretis sincerâ mente subjecere, quem ipse in Ecclesia instituit. 3°. Constans non erit Ecclesiæ fides: si enim fideles errorem detegant, in quem lapsus fuerit controversiarum judex, statim abjicienda erit fides, quam ipsius definitioni adhærendo prius profitebantur; ergo Ecclesia varias variis temporibus admettet fidei professiones: ac proinde non erit in sua fide immobilis; ergo, etc. Dices: Etiamsi judex secularis non sit infallibilis, non tamen interminatae sunt de rebus temporalibus lites; ergo pariter, quamvis judex in

Ecclesia constitutus, non esset infallibilis, non ideo perpetuae essent de rebus spiritualibus controversiae.

Resp. Neg. conseq. et parit. Ratio disparitatis est, quod autoritas temporalis in dirimendis litibus ad eum finem spectet, ut pax externa servetur: atqui ad retinendam pacem externam, non requiritur ut judex secularis in definiendis litibus sit infallibilis; at satis est, ut litigantes eam sententiam cogantur exequi, quam pronuntiavit judex, sive certi sint recte judicatum esse, sive eâ de re dubitent: præterea non tenentur litigantes firmâ fide credere, judicem temporalem nullo modo errasse: unitas autem fidei finis est præcipuus, ad quem spectat autoritas spiritualis in dirimendis controversiis de Religione exortis; ad fidei verò unitatem non satis est, ut cogantur fideles judiciis ab autoritate spirituali prodeuntibus, utcumque exterius adhærere; sed necesse est, ut omnino certi sint recte judicatum esse: unitas enim fidei in omnibus fidelibus stare nequit, nisi interius totâque mente iis adhæreant, quæ credenda proponit judex spiritualis: atqui fideles præbeant assensum, nisi persuasum habeant, judicem non errasse; si verò judex ille non sit infallibilis, semper dubitare poterunt fideles, an erraverit: id minimè inficiantur Protestantes: *Un Chrétien*, inquit Boullier, ne peut soumettre sa conscience aux décisions d'une autorité qu'il ne croit pas infaillible. (Pyrrhonisme de l'Eglise Romaine, pag. 22.) Ergo postulat unitas fidei, ut controversiarum judex in Ecclesia constitutus, sit infallibilis.



ARTICULUS II.

Quinam sit ille infaillibilis Judex controversiarum ad Religionem pertinentium.

Ea sunt vulgaria Protestantium de controversiarum judice placita : 1º. Nulli hominum generi Deus privilegium non errandi illigavit; errori igitur obnoxia sunt Pastorum decreta, sive congregati sint, sive dispersi. Idcirco, priusquam iis adhaereant Fideles, diligenter expendere debent, an verbo Dei congruant; si vero post accuratum examen congruere non videantur, credenda non sunt, sed potius abjicienda.

2º. Scriptura sacra, non autem Traditio, certa est fidei regula: nam sola Scriptura est verbum Dei, qui verax est; Traditio autem est verbum hominis, qui mendax est.

3º. Qui Scripturam consulunt, illius divinitatem cognoscere, sensumque intelligere debent; haec autem duo, adjuvante Dei gratia, assequi possunt: vel enim docti sunt, vel indocti, et articuli qui in Scripturis continentur, vel sunt *fundamentales*, id est, ad salutem comparandam necessarii, vel non: porro, inquiunt, in rebus ad salutem necessariis Scriptura clara est, et sese cuilibet leviter attendanti manifestam facit; imperiti igitur et simplices, illustrante Dei gratia, facile possunt in articulis necessariis Scripturæ sensum deprehendere; periti autem, praeter illud idem subsidium, quod pro articulis necessariis habent, possunt criticæ regulas adhibendo, aliorum textuum, qui articulos minimè *fundamentales* continent, sensum dignoscere.

4º. Gratia aſſulgens, cuius ope articuli ad salutem necessarii facile in Scriptura deprehenduntur, vocatur à Ministro Claude, radius Spiritus Sancti,

Dissertatio IV.

441

à Jurieu autem, sensus, gustus interior, quo statim apprehenditur, quidquid ad salutem necessarium Scriptura complectitur. Haec Ministerorum Jurieu et Claude, aliorumque Protestantium commenta exponuntur, simul et refelluntur in Libris exquisitis, quorum ii sunt tituli, *Histoire des variations*; (Tom. 2. lib. 15.) *Préjugés légitimes contre les Calvinistes*; (Cap. 14. et sequentib.) *Prétendus Réformés, convaincus de Schisme*, (Lib. 1. cap. 5.)

Theologi vero Catholicci docent; 1º. non exanimis, sed autoritatis viam tutissimam esse, simul et fidelibus omnibus accommodatam, ut in Tractatu de Religione probatum fuit; 2º. verbum Dei non in Scripturis tantum, sed etiam in Traditione contineri, et proinde æqualem esse utriusque autoritatem, quod supra demonstravimus; 3º. Scripturam esse quidem legem fideique regulam, sed mutam, quæ judice et interprete indiget; 4º. hunc interpretem et judicem, nec esse spiritum privatum, sive, ut opinantur Protestantes, Spiritum Dei qui privatis hominibus inest; nec radium Spiritus, ut singit D. Claude; nec interiorum conscientiae gustum, ut communiscitur Jurieu; sed Ecclesiam, quæ per spos Præpositos, de controversiis ad fidem et mores pertinentibus, sine ullo errandi periculo, judicat. His prænotatis, sit.

PROPOSITIO F.

Scriptura sacra non est supremus et infaillibilis controversiarum judex, ut volunt Protestantes.

Probatur 1º. Illud non est supremus controversiarum judex, quod propter suam obscuritatem, indiget interprete a se distincto: atquæ Scriptura propter, etc. Eam enim obscuram esse constat, tūm ex innumeris illis interpretationibus

T 5.

quas Catholicci et Hæretici excogitarunt; tūm ex agendi ratione Pseudo-Reformatorum, qui ad dirimendas de fide et moribus lites, Synodos congregate non semel coacti sunt; tūm ex beato Petro, qui de Epistolis Pauli ait: *In quibus sunt quādam difficultia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* (2. Petr. 3. 16.)

2º. Regula muta et silens necessario distinguitur à judice: hinc in qualibet Republicā, aliud est lex, aliud Magistratus: atqui hæc duo confundit opinio quam impugnamus. Et verò, si duo de sensu legis litigent, ut in omnibus ferē de Religione controversiis evenit, quis judex stabit? Scriptura? At de ipsius sensu disputatur, nec protest se ipsam exponere, utpote muta; necesse est, igitur, ut alius sit judex loquens, qui verum regulæ sensum assignet, itemque componat.

3º. Supremus controversiarum judex talis esse debet, ut non unam, aut alteram de fide disputationem definire possit, sed omnes: atqui Scriptura non sufficit ad omnes dirimendas de fide concertationes; multa sunt enim que ad fidem pertinent, nec tamen in Scripturis continentur; nullibi v. g. scriptum est, valere Baptismi Sacramentum ab Hæreticis collatum. *Sunt multa,* ait Augustinus, *quæ universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiuntur.* (Lib. 5. de Baptismo, cap. 23. tom. 9. Edit. Bened. col. 156.)

4º. Tandem perpetua Ecclesiæ consuetudo, alium, præter Scripturam, judicem adhibendi in omnibus controversiis, sola Calvinianum commentum satis profligat.

Solvuntur objecta.

Obj. 1º. Scriptura sacra per se clara est: dicitur enim *Praecepsum Domini lucidum, illuminans oculos, lucerna pedibus meis verbum tuum;* (Psal. 18.

et 118.) ergo inutilis est alias controversiarum judex infallibilis.

Resp. Dist. ant. Clara est in quibusdam, conc. in omnibus, neg. ant.

Et verò, si adeo clara sit Scriptura, cur huc usque cum Lutheranis de illius sensu genuino, in multis consentire non potuerunt Calvini sectatores? Cur octoginta interpretationes illorum verborum, *hoc est corpus meum*, excogitarunt Novatores? Cur omnes Hæretici suis erroribus, licet sæpius oppositis, præsidium in Scriptura querunt, et ad ipsam provocant? Certè nemo dixerit le gem, quam suam esse contendunt omnes litigantes, claram esse et perspicuum: nec obstant objecti textus; tūm quia de omnibus Scripturis non accipiuntur, sed tantum de præceptis dominicis, quæ clara sunt et manifesta; tūm quia Scripturæ dicuntur *lucerna*, non quodd facile semper intelligantur, cùm earum intelligentiam postulet ipse met Psaltes Regius: *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam: revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua;* (Psal. 118.) sed quodd intellectæ cum fuerint, animum illustrent et dirigant.

Obj. 2º. Is docet Scripturas supremum esse controversiarum judicem, qui Judeos ad eas provocat; atqui Christus Judeos ad Scripturas sic provocat: *Scrutamini Scripturas . . . illæ sunt quæ testimonium perhibent de me;* (Joan. 5. 39.) ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Qui provocat ad Scripturas, quod omnes controversias, et secluso quolibet alio testimonio, conc. maj. secùs, neg. maj.

3º. Itaque de una tantum quæstione hic agitur, utrum scilicet Christus sit Filius Dei, id quo ait Scripturis indicari, quamquam non ita clare, ut nullæ opus sit diligentia: hac enim voce, *scrutamini*, significat non sine aliquo labore, mysterium illud è Scripturis sacris erui: jamverò contro-

versiarum judex debet clare et aperte loqui , ut possit ab omnibus intelligi ; non autem à solis doctis , quales erant Pharisæi , quos solos hic Christus alloquitur ; debet , non de una aut altera , sed de omni fidei controversia certò judicare . Præterea , ut fides certa sit et immobilis , autoritate infallibili , tanquam fundamento , nitatur necesse est : porro , quantacunque scientiâ ingenique sagacitate aliquis polleat , errori tamen obnoxius est , ac proinde in dijudicando textuum sensu errare potest ; nunquam igitur à propria et privata Scripturarum interpretatione ; eam fidei firmitatem obtinebit , quæ omnem excludat dubitationem .

2º. Christus non solius Scripturæ , sed triplici alio testimonio , probat se filium Dei esse ; scilicet Joannis Baptistæ , miraculorum quæ operabatur , et Dei Patris clarâ voce testantis hunc suum esse Filium bene dilectum , ut constat ex versiculis præcedentibus ; non ita ergo remittuntur Pharisæi ad Scripturas , ut eas , secluso quolibet alio testimonio , ex privato suo sensu intelligant .

Obj. 3º. Sacris in Codicibus Scriptura exhibetur ut supremus controversiarum judex : sic enim de Beroensibus narratur : *Suscepérunt verbum cum omni aviditate , quotidie scrutantes Scripturas , sì illæc ita se haberent , ut dixerat Paulus . (Act . 17. 11.)* Quà de re eos non reprehendit Apostolus ; ergo , etc .

Resp. Neg. ant. Ad cujus probationem dico Beroenses Scripturas interrogasse , ut expenderent an Prophetarum vaticinia iis consentirent testimoniis , quibus utebatur Paulus , ipsis de morte et resurrectione Christi verba faciens ; hoc unum autem inde sequitur , nempe Prophetarum oracula circa Messiam , saltem post eventum , satis esse clara , ut ex iis veritas Christianæ Religionis demonstrari possit , quod perlibenter fatemur : sed

numquid inde colligi potest , eamdem esse certe ris in partibus perspicuitatem Scripturarum , ut omnes fidei controversias dirimere possit ? Minimè profectò ; nam , ut ait sanctus Ambrosius , *Mare est Scriptura divina , habens in se sensus profundos . (Ep. 2. ad Constantium. n. 3. Edit. Ben.)* Unde Augustinus sic modestè fatetur : *In ipsis sanctis Scripturis multò nescio plura , quād scio . (Epist. 55. Edit. Bened. cap. 21. n. 38.)*

PROPOSITIO II.

Privatus cuiusque spiritus non potest esse supremus controversiarum judex .

Probatur 1º. Judex eā polleat autoritate necesse est , quā possit partes litigantes compellere , ad suæ sententiæ obtemperandum : alioqui nullus esset unquam disputationibus finis , nec Christus Ecclesia sūt , quam proprio sanguine acquisivit , satis providisset : atqui nullus privatus talem habet autoritatem , nec potest alteri imperare , ut eum tanquam judicem audiat , ipsiusque judiciorum . 2º. Christus noluit eum esse controversiarum judicem , qui nedū Ecclesiæ pacem et unitatem stabiliret , discordiarum è contrario fomes esset perpetuus : atqui spiritus privatus patentissimam dissensionibus viam aperiret : cùm sit varius in variis hominibus , quisque ad libitum fidei dogmata sibi effingeret ; tot essent Religiones , quot capita ; anceps et dubius semper hæreret Fidebium animus : spiritus ille privatus , Luthero , v. g. suggestit aliquos è Canone Ecclesiastico libros expungendos esse , quos tamē admittendos esse Calvino persuasit : Luthero etiam dictavit hæc verba , *hoc est corpus meum , de reali corporis Christi præsentia in Eucharistia intelligenda esse ; contrariam autem interpretationem in Calvinii mente injectit ; ergo , etc .*

Nec confugias , ut D. Claude , ad radium Sp̄ritūs Dei , vel ad interiorem veritatis gustum , ut Jurieu : uterque enim pr̄dictis subjacet incommodis ; quot scilicet inde nascentur errores oppositi ! quot opinionum commenta secum pugnantia ! quanta erit animorum discordia . Fanaticus quisque , ut suis placitis autoritatem conciliat , lucidum Sp̄ritūs divini radium sibi affulgere pertinaciter affirmabit , suamque animam interno veritatis gustu affici : quis autem illum mendacii convincere poterit ? Latent enim in anima radius ille Sp̄ritūs , et animæ gustus , per quos volunt genuinos Scripturarum sensus dignosci Claude et Jurieu . Et verò splendidum illum Sp̄ritūs divini radium , istumque veritatis gustum , vel suis antesignanis Lutheru et Calvinu tribuere debent Protestantes , vel omnibus denegabunt ; atqui tamen in pluribus circa fidem dissentient Lutherus et Calvinus ; quis autem Spiritum Sanctum secum pugnare dixerit . Ad eos igitur , qui spiritum privatum , tanquam supremum controversiarum judicem , agnoscunt , pertinent ista Prophetæ verba : Væ Prophetis insipientibus , qui sequuntur sp̄ritum suum , et nihil vident divinant mendacium , dicentes : ait Dominus cùm ego non sim locutus . (Ezech. 13. v. 3. et seq.)

Obj. 1º. Sic hortatur Apostolus : Non necesse habetis ut aliquis doceat vos : sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus , et verum est et sicut docevit vos , manete in eo ; (I. Joan. 2. 27.) Ergo Deus solus per internam unctionem , non verò per hominum ministerium fideles docet .

Resp. Neg. conseq. Hæc Apostoli verba temere profecto nobis objiciunt Protestantes . Si enim ad litteram accipiuntur , ipsis non minus nocent , quam Catholicis . Inde nimis rūm sequeretur rejiciendos esse ipsorum Ministros , utpote inutiles . **I**sta verò est Apostoli mens , ut fideles deterreat ab audiendis quibusdam seductoribus , qui falsa-

ipsis doctrinam obtrudebant . Hæc scripsit vobis , inquit , de his qui seducunt vos . (Ibid. v. 26.) Sic ergo eos admonet : vos , quorum mentibus interior divinæ gratiæ unctio Christi doctrinam inseruit , in ea firmi state , nec falsis Doctoribus aurem accommodetis : neque enim necesse est ut aliquis vobis aliam ingerat doctrinam . Quo sanè hortamento documenta Pastorum non excludit Apostolus : alioqui secum ipse pugnaret , cùm ad erudiendos fideles suam Epistolam scripserit .

Denique his alijsve similibus locis significant Autores sacri , ipsum esse Deum qui interiori gratiâ mentem illustret , voluntateaque ad credendum moveat ; alioqui Doctores et Pastores necquicquam auribus nostris exterius insonare .

Obj. 2º. Ita docet Apostolus : Animalis homon percipit ea quæ sunt Sp̄iritūs Dei spiritualis autem iudicat omnia . (I. Cor. cap. 2. v. 14 et 15.)

Ergo Fidelis quilibet à Sp̄iritu edocitus , supremus est controversiarum iudex .

Resp. Neg. conseq. Objectus enim Apostoli textus Protestantum causam nihil juvat : nam 1º. privatum quemlibet Fidelem , controversiarum fidei judicem constituant : atqui de fidelibus quibuslibet non loquitur Apostolus ; sed de spiritualibus , quos versiculo sexto dixerat perfectos , qui mentem habent in divinis exercitatam , utpote in vita spirituali jam adulti et proiecti : Fideles enim hujusmodi sequenti capite iis opponit , qui sunt fidei rudes , et in doctrina Christi , quasi infantes : Non patui , inquit , vobis loqui quasi spiritualibus , sed tanquam parvulis in Christo . (Ibid. cap. 3. v. I.) qui scilicet cognoscendis , et ut par est , intelligendis altioribus mysteriis adhuc sunt impares . 2º. Loco verbi iudicat , quod in Vulgata reperitur , textus Græcus habet , discernit : atqui aliud est res divinas facilius percipere et discernere , et aliud supremum esse fidei controversiarum judicem ; quemadmodum in Advocatis , aliud

est, ob juris peritiam et exercitationem, res difficultes melius intropiscere, et expendere, et aliud dirimendarum litium juridicam habere potestatem.

PROPOSITIO III.

Ecclesia supremus et infallibilis est controversiarum ad fidem pertinentium Index.

Probatur 1^o. ex Scripturis: *Tu es Petrus, inquit Christus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* (*Matth. 16. 18.*) Atqui portæ Inferi adversus Ecclesiam prævalerent, si in his quæ ad fidem pertinent, erraret; ergo, etc. *Ecclesia Dei vivi,* inquit Apostolus, *columna et firmamentum veritatis:* (*1. Tim. 3. 15.*) atqui tam nobilibus titulis immerito gloriaretur Ecclesia, si in fidei controversiis erroris periculo subjaceret; ergo, etc. *Si Ecclesiam non audierit, ait Christus, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus;* (*Matth. 18.*) in excommunicationis igitur pœnam incurrit, quisquis Ecclesiam non audierit: atqui absurdum est, Fideles sub pœna omnium gravissima teneri judicio erroribus obnoxio immobiliter stare; ergo, etc.

Prob. 2^o. ex Patribus: *Sanctus Irenæus, Non oportet, inquit, apud alios querere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere:* (*Lib. 3. de Hæres. cap. 4. n. 1.*) atqui si possit Ecclesia circa fidem errare, tam facile erit errorem ab Ecclesia accipere, quam veritatem: ergopersuasum habuit Irenæus eam esse infallibilem. *Sanctus Augustinus: Scripturarum à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat autoritas;* ut, quoniam sancta Ecclesia fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæsitionis (*de Baptismo ab Hæreticis dato*) eamdem Ecclesiam de illa cor-

sulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat. (*Lib. 1. contra Cresconium. cap. 33. n. 39.*) Atqui Ecclesia in dijudicandis fidei quæsitionibus errare si possit, ne ab eas fallatur metuere debet, quisquis eam consultit. Ab aliis Patrum testimentiis referendis abstinemus, quia ea proferendi recurret occasio.

Prob. 3^o. Ecclesia, vel à primis seculis, quo tempore eam veram esse Christi Ecclesiam nemo negaverit, in omnibus circa fidem exortis disputationibus, post definitionem suam nemini dubitationem permisit; sed ab omnibus suis membris, sub poena anathematis, exegit ut firmiter suis Decretis adhærerent. Eodem modo nunc se gerit Ecclesia Catholico-Romana, quam veram esse Christi Ecclesiam ostendimus: semper igitur creditit Ecclesia, sibi datum esse non errandi privilegium: vel enim id persuasum habuit, vel crudelitatis et injustitiae erit accusanda: nihil quippè crudelius, et injustum magis esse potest, quam, proposita anathematis pœna, exigere ut fideles definitionibus errori obnoxii firmissimo adhærent assensu: atqui vera Ecclesia crudelitatis et injustitiae, in sua constanti perpetuaque consuetudine, argui non potest; ergo semper creditit Ecclesia, indefiniendis fidei controversiis falli se non posse: atqui illud non potuit constanter credere, quin revera sit infallibilis; alioqui semper errasset vera Christi Ecclesia; quod absurdum est; ergo etc.

Prob. 4^o. ex agendi ratione Calvinistarum. Adeo constans est Christianorum de Ecclesiæ autoritate, doctrina et persuasio, ut eam, saltem factis, confirmant Calvinistæ: namque, ut observat Bossuet in lib. cui titulus; *Conférence avec M. Claude,* in sua disciplina decernunt, ut exorte de doctrina controversiæ deserantur 1^o. ad consistorium, quod ex ministris et senioribus componitur; 2^o. ad colloquium à ministris loci et viciniæ habitum; 3^o. ad Synodum provincialem; 4^o. ad

Synodum nationalem, eâ lege omnibus impositâ, ut qui illius decretis obsequi noluerint, ab Ecclesia ejiciantur; quâ pœna animadversum est in Arminianos, qui cùm Synodi Dordracenæ decretis anno 1618 reluctantur, damnati sunt et communione privati.

Solvuntur objecta.

Objicies 1º. Si Deus Ecclesiam, tanquam supremum et infallibilem fidei judicem instituisset, maximè quia nulla esset via simplicibus magis accommodata ad veritatem assequendam, quâ autoritas: atqui illud falsum est; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Ex omnium enim Christianorum consensu, Deus aliquam obtinendæ fidei viam instituit ruditus attemperatam; duæ verò tantum sunt viæ, quibus ad fidem perveniant, scilicet vel autoritas, vel discussio dogmatum: alterutra proinde simplicibus apta sit necesse est; talis porrò censenda est, quæ facilior: atqui longe facilior est autoritatis via, quâm inquisitionis: impossibile enim est plerisque hominibus, ex sola Scriptura, ut volunt Protestantes, seclusi autoritate, veritatem propriâ industriâ certò deducere; hoc quippe nemo potest assequi, nisi libros canonicos et divinos ab apocryphis discernat, legitimas interpretationes à falsis, loca metaphorice intelligenda, ab iis quæ ad litteram sunt accipienda: atqui hæc tria viris eruditis sunt admodum difficilia, simplicitus autem et imperitis impossibilia; contrâ verò, ut nemo nescit, autoritati credere magnum compendium, nullusque labor est; ergo via autoritatis longe facilius et tutiùs ad fidei cognitionem perducit, quâm via examinis; ac proinde vel simplicibus accommodata censeretur, vel nulla hujusmodi est.

Inst. Ut noverint imperiti autoritati adhærendum esse, ipsis multa sunt expendenda. Executant, v. g. necesse est, quis sit genuinus Scripturæ sensus iis

in locis, ex quibus deducitur infallibilis Ecclesiæ autoritas: atqui illud simplicibus impervi m est; ergo cognoscere non possunt autoritati standum esse.

Resp. 1º. Neg. maj. Ut enim simplices certò possint cognoscere, se in rebus fidei, non proprio examine, sed autoritate Ecclesiæ ducendos esse, iis minimè necesse est, ea Scripturæ loca expendere, quibus hæc autoritas adstruitur; sed illud possunt assequi, 1º. ex antiquissima consuetudine Ecclesiæ, ut patet ex probatione tertia; 2º. ex fide et usu Romanæ Ecclesiæ, quam veram esse Christi Ecclesiam, vel solâ ratione detegere possunt, ex notis scilicet quas descripsimus; 3º. ita apud se ratiocinando; Deus vult ut simplices ad salutem per fidem perveniant; atqui mihi conscient sum, me non posse quæ necessaria sint fidei dogmata, proprio examine cognoscere, et omnes imperiti idem sentiunt; ergo autoritati standum est.

Resp. 2º. Neg. min. Homini enim Christiano, quâmvis simplici, non tam difficile est quâm fingunt Protestantes, infallibilem Ecclesiæ autoritatem in Scripturis deprehendere; siquidem Scripturæ loca, quæ promissiones Ecclesiæ factas continent, ab omnibus Christianis admittuntur, et sensum habent obvium et facilem, ut duobus hac de re pastoralibus documentis demonstravit Illustrissimus Bossuet. Præterea quò magis ostendit simplices non posse unum, aut alterum articulum expendere, èo certius est ab iis postulare prudentiam, ut autoritate duci se patientur, et Ecclesiæ credant.

Obj. 2º. Illud ad dirimendas fidei controversias Christus non instituit, quod Deo injuriosum est: atqui talis est autoritas Ecclesiæ, qualem admittimus: inde enim sequeretur 1º. Deum obscurè locutum esse, cùm tamen nemo sapiens verba faciat, nisi ut intelligatur: nam ideo asserimus non suf-

ficere Scripturam ad dirimendas fidei controversias, sed requiri autoritatem Ecclesiæ, quia Deus in Scripturis obscurè locutus est. 2º. Sequitur Ecclesiam, quæ est hominum societas, esse supra Scripturam, quæ est verbum Dei: Ecclesia enim de Scriptura judicat, ac proinde ipsa superior est: atqui haec omnia sunt Deo injuriosa, ergo, etc.

Resp. Neg. min. Illud sanè Deo non est injuriosum, quod ejus bonitati et providentiae valde congruit: atqui ita se habet Ecclesiæ autoritas, quam Iam descriptsimus: Deus enim, ut summè bonus et providus, eam instituisse viam meritò creditur, sine qua simplices ad fidem pervenire nequeunt; sine qua stare non potest Ecclesiæ unitas; sine qua tot ferè essent Religiones, quot capita: atqui sine autoritate Ecclesiæ, nec simplices, etc. ut jam probavimus; ergo, etc.

Quod spectat ad primam probationem, disting. Ex nostra doctrina sequitur, Deum obscurè locutum esse, in quibusdam tantum, ita ut interpretetur dederit tutissimum, conced. sequitur Deum obscurè locutum esse in omnibus, et ita ut nullus fuerit verbi divini interpres, nego.

Nemo quidem sapiens verba facit, nisi ut intelligatur, saltem accidente interprete; ac proinde ille Deo esset injuriosus, qui contendenter cum in omnibus obscurè locutum, et nullum esse interpretem, qui ipsius verba exponere possit: atquidum Catholici ex Scripturæ obscuritate concludunt, Ecclesiam institutam esse à Deo controversiarum judicem, non ideo volunt Scripturam in omnibus obscuram esse; aliundocent difficiliora quedam Scripturæ loca manifesta fieri, accidente Ecclesiæ interpretatione; ergo nullam hac in parte Deo injuriam faciunt.

Ad secundam probationem disting. Ecclesia judit de Scriptura, id est, discernit et proponit Scripturæ sensum, conc. id est, declarat vera vel falsa esse quæ docet Scriptura, neg.

Reipsa quidem si judicaret Ecclesia utrum verasint

an falsa, quæ in Scriptura continentur, supra eam quodammodo constitueretur; minimè vero, si genuinum tantummodo Scripturæ sensum proponat: numquid enim judicem supra legem positum esse dixeris, quia legis sensum exponit? Numquid Senatus supra Regem evehitur, quia edicti regii sensum aperit? Porro explanat quidem Ecclesia Scripturæ sensum, sed ab illius judicio non pendet eorum veritas, quæ in Scripturis exprimuntur.

Inst. Ecclesia non potest esse fidei judex, quin supra fidem sit: judex enim supra eos constituitur, quos judicat: atqui absurdum est dicere Ecclesiam esse supra fidem; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Ex eo quod enim Ecclesia sit fidei judex, sequitur quidem ipsam esse supra fideles positam, non vero supra fidem; sicut judex secularis est quidem litigantibus superior, sed non supra legem. Ratio est, quod Ecclesia juxta fidei regulam, definire teneatur, quemadmodum judex secularis, juxta Principis legem, debet pronuntiare.

Obj. 3º. Si Ecclesia, tanquam controversiarum judex, à Christianis audienda sit, pari jure Synagoga à Judæis audienda erat; qui proinde, citra peccatum, potuerunt Christum rejicere, à Synagoga rejectum: atqui falsum consequens; ergo et antecedens.

Resp. Neg. sequelam majoris: Ideo enim nunc peccant Christiani, Ecclesiæ definitionibus reluctando, quia resistunt majori autoritati, quæ ad dirimendas fidei controversias à Deo instituta est: atqui contra Judæi Christum rejicendo, spretâ majori autoritate, Synagogæ judicium securi sunt, quæ à Deo judex Christi instituta non erat.

1º. Quidem spreverunt autoritatem majorem; nempe autoritatem Joannis Baptiste, qui Christum Messiam tam egregie commendaverat; spreverunt Prophetarum vaticinia, quæ in Christo impleta

sunt; sprevrerunt miracula Christi, ut Scribarum et Sacerdotum autoritatem sequerentur ex quibus constabat Synagoga: atqui autoritas tūm Joannis Baptistæ, tūm Prophetarum, tūm miraculorum Christi, longē major fuit autoritate Synagogæ: hæc enim poterat tantum Moysis miracula opponere Christi miraculis: atqui id frustrà et immerito tentasset. Frustrà quidem, quoniam Christi miracula longè splendidiora erant miraculis Moysis; immerito etiam omnibus quippe notum erat Messiam à Moyse et Prophetis fuisse prænuntiatum; ergo Christus cùm diceret se eum Messiam esse, quem Moyses et Prophetæ prædixerant, non ideo contradicebat Legi et Prophetis; non erat igitur, cur miraculis Christi opponerent miracula Moysis, nisi supponendo, quod in quæstionæ erat, Christum scilicet non esse Messiam à Moyse et Prophetis prænuntiatum.

2º. Autoritas Synagogæ à Deo non instituta erat, ut de Christo judicaret; nam Christus asserebat, stupendisque suis operibus probaverat se Messiam ipsum, et Prophetam esse: atqui Prophetarum ministerium ab autoritate Synagogæ non pendebat; siquidem ad reprimendam ipsius pravitatem interdum à Deo mittebantur: multò minus debuit Synagoga de Christo pronuntiare, quatenus Messiam se profitebatur et aperte demonstrabat: nam prædixerant Prophetæ, Messiam à Synagoga reprobandum esse; ergo cùm tunc de Messia ageretur, vanum omnino fuit judicium adversus Christum à Synagoga latum.

Inst. Ipsa Christi autoritas in controversiam veniebat. In eo quippe sita erat disceptatio, an Christus esset Messias, utrum in ipso suum Prophetæ effectum habuissent; ergo per Christi autoritatem dirim non poterat quæstio tunc agitata; at suo quisque privato judicio stare debuit. Ita Pseudo-Minister Claude in percolebri collatione cum doctissimo Bossuet.

Resp. Dist. ant. Ipsa Christi autoritas in controversiam veniebat, sed prorsus immerito, conc. sociis, neg.

Quis Christianus dicere ausit quo tempore damnatus fuit Christus, merito controversam fuisse ipsius autoritatem, tot tanisque miraculis confirmatam? Summæ igitur huic autoritati cedere debuit Synagoga.

Obj. 4º. Nos in circulo vitioso semper impeditos hærere, cùm infallibilem Ecclesiæ autoritatem ex Scripturarum divinitatem et veritatem, Scripturarum verò divinitatem et veritatem ex infallibili Ecclesiæ autoritate adstruimus. Tunc enim fit circulus vitiosus, cùm propositiones duæ sese mutuò probant: atqui duæ istæ propositiones: *Ecclesia est infallibilis, Scripturæ divina sunt et vera*, sese mutuò probant; nam si quæras à Theologo, cur Scripturam verbum Dei esse credat, respondebit, quia sic tradit Ecclesia, quæ errare non potest; si verò quæsieris, cur credat Ecclesiæ, tanquam judici infallibili, reponet, quia Scriptura sacra docet Ecclesiam non falli posse, ipsique credendum esse; ergo illæ duæ propositiones sese mutuò probant, et in hoc situs est circulus vitiosus.

Resp. Inter eos qui autoritatem Ecclesiæ impugnant, alios esse qui Scripturarum divinitatem et veritatem admittant, et alios qui negent. Si eum iis dimicandum sit, qui Scripturas, tanquam divinas venerantur, qualessunt Protestantes, cùm autoritatem Ecclesiæ ex Scripturis adversus eos probamus, non fit circulus vitiosus; sed argumentum *ad hominem*, ut aiunt Scholæ, id est, ab eorum principiis deductum: sic enim hujusmodi adversarios urgemos: Scripturas divinas esse et veras agnoscitis: atqui ex nonnullis Scripturarum locis constat, Ecclesiam in dirimendis fidei controversiis esse infallibilem, ut satis probat tūm sensus obvius, tūm omnium seculorum interpretatio; ergo infallibilem hanc Ecclesiæ autoritatem

admittatis necesse est; quis autem dixerit argumentum hujusmodi, circulum esse vitiosum?

Ubi vero bellum cum iis gerimus qui, tūm Scripturæ, tūm Ecclesiæ autoritatem rejiciunt, tunc aliis pugnamus armis, soloque rectæ rationis subsidio utimur. Divinam scilicet sacrorum Codicim autoritatem et veritatem, non Ecclesiæ autoritate, sed eādem methodo demonstramus, quā Virgilii, Tullii, etc. operum authenticitas et veritas probari solent; quod fieri posse ex Tractatu de Religione manifestum est. Præterea Pseudo-Reformati, quibuscum præsertim nobis est controversia, Scripturarum divinitatem et veritatem agnoscunt: atqui tamen non eam credunt ob infallibilem Ecclesiæ autoritatem, quam rejiciunt; ergo aliunde quā ex autoritate Ecclesiæ deduci et probari potest Scripturarum divinitas aut veritas: deinde post stabilitam solā ratione Scripturarum autoritatem, illas evolvimus, ibique certò deprehendimus Ecclesiæ promissum non errandi privilegium; sive evanescit circulus ille vitiosus, tantoper ab incredulis exprobatus.

Obj. 5º. Illa methodus anteferri debet, quæ magis certa est, magisque accurata: atqui utramque hanc dotem sibi meritò vindicat methodus Protestantium. 1º. Quidem certior est. Scripturæ enim, quā præludente, veritatem inquirunt, autoritas ab omnibus Christianis admissa, certior est autoritate Ecclesiæ de quā controvertitur. 2º. Accurrior est: Protestantes enim adjunctum ex capite judicant (*l'accessoire par le principal*) nempe genuinam Ecclesiam ex vera doctrina; Catholici contra Scripturam judicant per Ecclesiam, seu præcipuum per adjunctum (*le principal par l'accessoire*) quod certè minus accuratum est.

Resp. ad 1º. non minùs certam esse Ecclesiæ, quā Scripturarum autoritatem, siquidem ipsis putatur. Præterea ut dirimantur fidei controver-

siae,

siae, non sufficit de Scripturarum autoritate consensio, sed præterea genuinos earum sensus asse-qui necesse est: eas verò interpretandi nullam ha-
bent Protestantes rationem certam, ab omniq[ue] erroris periculo tutam, ut patet ex suprà dictis.

Resp. ad 2º. Cūm fuerit jam probatum voluisse Christum, ut fidei controversie per Ecclesiæ au-
toritatem falli nesciam dirimerentur, hæc tanti est
momenti, ut nefas sit eam spectare veluti merum
quoddam adjunctum (*comme un pur accessoire*). Si enim Princeps verbis apertissimis supremum
institutus Senatum, tanquam legum interpretem,
à quo dijudicari velit varias de rebus civilibus lites;
nonne hujusmodi Senatus autoritas erit aliquid
præcipui? Idem ergo sentiendum est de Eccle-
siæ, cui supremam Christus autoritatem conces-
sit, de controversiis ad fidem pertinentibus irre-
vocabili judicio pronuntiandi.

Obj. 6º. Plebem imperitam latet, quænam sint
conditiones ad legitimum Ecclesiæ judicium re-
quisita, an observatæ fuerint, utrum Ecclesiæ
judicium pronuntiaverit, et quis illius sit sensus;
ergo proponi non debet Ecclesiæ, tanquam su-
premis controversiarum circa fidem judex.

Resp. 1º. Opus non esse ut fidelibus com-
petet sint omnes conditiones ad legitimum Ec-
clesiæ judicium requisita. Ubi enim persuasi sunt
errare non posse veram Christi Ecclesiam, eam-
que esse Romanam; Ubi præterea norunt Eccle-
siæ judicasse, huic judicio firmi securaque adhæ-
rere debent, rati servatas fuisse omnes conditio-
nes ex quibus pendet verum Ecclesiæ decretum,
quamvis eas non cognoscant. Ipsi enim suspicari
non licet Ecclesiam, sive dispersam, sive con-
gregatam suæ autoritatis limites aliquando præter-
gredi.

Resp. 2º. Posse fideles, etiam rudes, Eccle-
siæ judicia, et genuinos illorum sensus cognos-
cere; nempe ex publico testimonio, ex Pastorum

documentis, quibus tutò stare possunt, cùm sì nemo reclamat. Nonne ex voce publica cognoscunt Regis edicta, et quid in iis precipitatur? Cur ergo pariter addiscere non valeant, et Ecclesiæ judicia, et quid in ipsis definitum fuerit? Præterea ita claræ et apertæ sunt Ecclesiæ definitiones, ut earum sensum assequi facile sit.

PROPOSITIO IV.

Ecclesia per suos Pastores de rebus ad fidem pertinentibus infallibiliter judicat.

Prob., 1º. *Data est mihi, inquit Christus; omnis potestas in caelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptisantes eos, . . . et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* (Matth. cap. 28. v. 18. et seq.) Ut inconcussa stet nostra propositio, duo requiruntur; primum, ut per hæc verba Christus Apostolis dederit privilegium non errandi in tradenda doctrina; secundum, ut privilegium illud ad Pastores, Apostolorum successores, transmissum fuerit; atqui hæc duo certa sunt. Et primo quidem illis Christus in docendo non errandi prærogativam concessit, quibus docentibus promisit auxilium efficax: atqui Christus Apostolis docentibus auxilium efficax promisit: nam pollicitus est secum iis docentibus futurum. *Docete, inquit, ecce ego vobiscum sum: atqui hæc verba, vobiscum sum, auxilium efficax designant, ut patet ex omnibus aliis Scripturae textibus, in quibus similia occurserunt verba; quales sunt isti: Ego ero tecum, ait Dominus Gedeoni, et percuties Madian quasi unum virum; — Cum transieris per aquas, inquit Deus, tecum ero, et flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris; — Accingite vos, et vincimini; inité consilium, et dissipabitur . . . quia nobiscum Deus.* (Judic. cap. 6. v. 16.—Isa. cap. 43. v. 2. et cap. 8. v. 9. et 10.) Ex iis textibus

Dissertatio IV.

patet hanc esse vim illorum verborum, ecce ego vobiscum sum: ut auxilium efficax docentibus Apostolis promissum significant. Hunc sensum etiam aperte probant ista quæ præuent verba; *Data est mihi omnis potestas;* per ea quippe indicare voluit Christus auxilium quo instruendierant Apostoli docentes non fore commune et ordinarium, sed grande aliquid auxilium, ac proinde efficax; ergo 1º. Christus Apostolis concessit privilegium non errandi, in exercendo docendi ministerio.

2º. Privilegium illud ad Pastorum corpus transmissum fuit; res ita est, modò Christus Apostolis prædicta verba fecerit, quatenus unicam constituebant personam moralē, cum suis successoribus: atqui res ita se habet: Apostolos enim alloquitur Christus, quatenus ad finem usque mundi exituros, ut liquet ex istis verbis: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi;* atqui manifestum est Apostolos in terris non permanens, neque docturos esse ad finem usque mundi successoribus efficiunt; ergo 2º. privilegium nisi prout unicam personam moralē cum infallibiliter docendi, Apostolis datum, ad Pastorum corpus etiam pertinet; ac proinde Ecclesia, per suorum Pastorum universitatem, sive corpus, de rebus fidei infallibiliter judicat.

Prob. 2º. Sic testatur Apostolus: *Ipse (Dominus) dedit . . . Pastores et Doctores . . . ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omnivento doctrinæ;* (Ephes. 4. 11. et seq.) Pastorum igitur tribunal instituit Dominus, quo tolleretur omnis in fide hæsitatio, et quasi fluctuatio: atqui nisi tribunal illud, in assignanda vera fide, esset infallibile, jam à fidelium mentibus non omnis excluderetur vacillatio et dubitatio; ergo, etc.

Prob. 3º. *Super cathedram Meysis, inquit Christus, sederant Scribæ et Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite.* (Matth. 23. v. 2 et 3.) *Nox minor sanè est Pastorum Ecclesiæ,*